

è somno excitato omnia cubiculi objecta ita clare & distincte, ac si candelâ illuminarentur, repræsentata fuisse. *Vid. Ars Magna Luc. & Umbræ lib. 2. part. 2. cap. 1. fol. 162.* Idem de seipso testantur Cœlius Rhodiginus *Antiq. Leet. lib. 15. cap. 2. fol. 776.* Hieron. Cardanus *lib. 8. de Var. Rer. cap. 43.* & Libert. Fromondus *in Meteorolog.* Vid. Bartholin. *d. l. 1. cap. 14. pag. 107.* & Gerh. Joh. Vossius *de Orig. & Progress. Idololatris lib. 3. cap. 26. pag. 853. seq.*

§. 8. Sed si paulò penitus hæc exempla inspicantur, fatendum omnino est, ea reverà huc non spectare, cum quæstio sit de visibilitate oculorum in tenebris, non de visus acrimoniâ aut retentione specierum visibilium. Illâ enim qui præditus est, benè videt diluculo, crepusculo, imò & nocte, si ea non planè illunis est ac intempesta, licet ejus oculi ab aliis ut lucentes conspici nequeant. Hâc verò interveniente quilibet in tenebris objecta non secūs ac mediâ in luce constitutus cernere potest. *Vid. Kircherus l. c. fol. 163.* Magis proinde huc facere videntur Oculi Theodori Bezæ, qui in densissimis tenebris ita elucebant, ut fulgorem externum circa orbitas efformarent, annotante Bartholino *l. c. pag. 108.*

§. 9. Simile quid in aliorum Animalium oculis deprehendimus. Licet enim Ælianus *de Animal. cap. 20. lib. 26.* putet ejusmodi lucem solos Lupos naturæ munere accepisse, attamen eodem modo errat, atq; illi apud Plinium *lib. XI. cap. 37.* qui de Tiberio opinabatur, ei soli, nec alii genitorum mortalium hanc fuisse naturam, ut expungens factus noctu paulisper haut alio modo quam luce clarâ contueretur omnia. Nam de Felibus præter quotidianam experientiam testatur Plinius *l. c. de Leonibus Th. Bartholinus lib. 2. cap. 2. pag. 229.* qui tamen ex Aristotele, Seneca & Oppiano suam sententiam vix probabit, cum allegata verba alium planè sensum contineant. De Noctuarum oculis idem affirms Eustathius, sed recte ejus opinio refellitur à Vossio *d. lib. 3. cap. 81. pag. 1165.* Hæ enim nocte illuni nihil conspiciunt, sic ut accessu hominis non moveantur, quia non videntur.

§. 10. Imò & nonnulli Pisces oculorum face noctu conspicui sunt, ut Haleces, de quibus Olai Magni Epitom. *lib. 20. pag. 421.* Neukrantzius *in Tr. de Hareng. cap. 3. pag. 20.* Milvi seu Lucernæ, cuius rei oculatus testis est Conrad. Gesnerus *l. c. pag. 8.* Conf. Gvilhelm. Rondeletium *de Piscib. lib. 10. cap. 8. fol. 297.* & Francisc. Boussyvetum.